C
H

VI

NI

In pu

AN

CORNUCOPIÆ HONORUM & VIRTUTUM.

10

Autumnali Laureolâ.

IN

VIRIDARIO IAGELLONIANO, ALMÆ ACADEMIÆ CRAC. NEXUM.

ET

Dum veluti in pratis, ubi apes æstate serenâ,
Floribus insidunt ramis. 6. Æneid.

XIV. Venerabiles & Eruditi sapientiæ

CANDIDATI,

Primam Artium & Philosophiæ Lauream

PRENSANTES.

Per Excellentissimum Dominum

NICOLAUM SULIKOWSKI,

Seniorem Contub. Iagell. Solenni Actu In publicâ Clarissimorum Virorum frequentiâ Baccalaurei renuntiarentur.

Ab

ANDREA GRABIANOWSKI eiusdem Laureæ Candidato.

VICTRICI

Candidatorum Gloriæ Sacrum.

Anno à Partu Virginis 1643. Sept. Idus Octobr.

CRACOVIÆ, Ex Officinâ Francisci Cæsarij.

In Perilluſtr. Domus de Lipnik Lipniciorum

S T E M M A.



Sulmo quem cernis; poſtquam virtutibus æquor
Sulcauit, portum conſtitit ante ſuum.
Atquè ſtupens quærit; quæ ſit magis ardua virtus,
An per humum, an per aquam, ſi mereatur honor?

Perilluſtri & Admodum Rndo. Domino,

D. ALBERTO
DE LIPNIK
LIPNICKI.

Præpoſito Sandomirienſi, Canonico, Vicario in Spiritualibus, &

OFFICIALI GENERALI CRAC.

S. R. M. SECRETARIO,

Mecænati Ampliſsimo.

S. P. F.

NON mirêre Perilluſtr. & Adm. R. D. quod ab amplâ dignitate tuâ, huic leuiori opellæ meæ, non ſine ingenti verecundiæ metu, auſim exigere patrocinium. Scio, nec hũc latet Sarmatiæ orbem vniuerſum, quod virtus Illuſtris Familiæ Tuæ ſic viuit, & ſemper eſt victura, vt de Xyſtis laudati eloquij aduentitia non poſtulet ornamenta, nec vlla Poëtarum opis adminicula, æternæ indiga laudis. Nam ſi triumphatricem Veſtris Tholis innatam intueor virtutem, feliciſſimè ſemper de Eccleſiâ, de Rep. mereri reperio: cuius quam pretioſa in Te illuxerit fe-

licitas, conijciet qui circumſpectam cunctis in rebus inſediſſe animo Tuo ſpectare volet prudentiam; hæc verò vt elogio Ariſtotelis vtar: Si cui vna adſit, continuò cum eâ reliquæ aderũt virtutes. Quum igitur in Te animi prudentiam, cultus Diuini propagationem, pietatem, iuſtitiam, & comitatem non poteſt quiſq; non admirari, quæ quantum in his ſummus, tantum es & benignus: mihi non integrum fuit, alium quàm Te Patronum adoptare. Cuius enim protectioni laborum exiguos fructus, ad opprobrium lucis ituros, tutius ſubijcere potui? quam ſingulari beneficenitæ, nempè illius Conſeruatoris, in cuius animo præſidium firmum, & admirandæ pietatis in bonas artes ſignificatio conquieſcit. Non magnificũ, ſed vile, ex puluere & pugnâ victricium artium obtentum, ſupplex offero munus, quod quia vile, vt eximiùs, rude, vt glorioſiùs ſit, non aſpernaberis, hoc humillium obſequiorum & precum votis imploro. Videbor ego quidem maximum quoddam, à Te Perilluſtris & Adm. Rńde. Domine accepiſſe, cum dederim, nihil omninò dediſſe, cum benignus acceperis. Sed Deus Optimus Maximus Perilluſtrem & Admodum Reuerendam D. V. Eccleſiæ, & Reipub. honoribus florentiſſimum, diutiſſimè conſeruet.

Perilluſtr. & Adm̃. Rñdæ. D. Tuæ,
humillimus ſeruorum cliens.

Andreas Grabianowſki Primæ Laureæ Candidatus.

PROPHASIS

Ad eundem Perillustrem & Adm. Rndum. D.

MECÆNATEM AMPLISSIMVM.

THalia præsto Pierij Chori
Præses adesto, siue Pöëticis
Parnassus vndis, te Camænam
Irriguis tenet aut Olympus.
Inscende puppim; nam pelagus situm
Virtutibus, LIPNICIANÆ domus
Sulcare oportet; tum refusæ
Flumina deproperare famæ.
LIPNICKI is altæ nauita gloriæ,
Jam nescius constans decor emori,
Magna est vehendus laude honorum,
Per Titulos, per & æquor amplum.
Hic ille natorum decorum Pater.
Haud fallo; viuam prodit imaginem
Gentis patritæ; quæ Polonis
Marte, Togâ, viguitq; rostris.
Quantum ô decoros gens ea surculos
Virtutis almæ protulit ac boni?
Non mutuato, sed suorum
Fulsit honore beata semper.
Hoc Præsul in te hoc experimur, nitor
Priscorum Auorum; viuida cernitur,
Quem non leuis sors, nec fauores,
Propria sed genuisse virtus.
Splendes honesto feruidus ardua
Curare cultu sydera cælitûm;

Est veritas altis Sopita
Candida mentibus in tuisq;
In Te refulgent munera Palladis,
Diues supellex ingenio tuo
Insedit æquo comitas tum
Fædere, corde, animoq; clarent.
Faxit Tholis Te tum senio grauem,
Gemmata stellarum in Capitolia,
Seris reuertentem trophæis,
Æthereæ vehat axis Aulæ.
Per multa faxit sæcula promouens
Genti vetustas viuere Te sinat
Annos Auorum, vt Tu rependas,
Sic Atauis Proauisq; clarus.

E X E G E T I C O N

Academiæ Loquentis.

Dum sobolem multâ numero super arbore fœtam
Tempora dent sua, qui vitã coluêre per artes, Virg. 6. Æn.

Altrices	Adeant	Artes,	Ac	Artis	Asylum.
Candidati	Celebrent,	Ceu	Celsa	Cacumina	Cuncti
Accedant,	Adament;	Astris	Alma	Ambit	Amœnos
Desferre hos	Dea, quos	Dum	Doctâ	Daphnide	Donat,
Exerit	Eximios	Et	Epeo	Exæquat	Ephebos
Magnos	Marti,	Magnos	Magno	Magna	Ministrãs,
Inserit	Imperio,	Iste	Iubar fit,	Iuxta ac	Imago,
Altigenis	Atauis,	Amplâ	Amplos qui	Auget	Aristâ.

EPOS

EPOS PARODIANVM

Ad Excellentissimum Dominum

ALBERTVM DAMBROWSKI,

Philosophicæ Facultatis Decanum.

Et ad Excellentissimos Dominos

LVCAM PIOTROWSKI,

ALBERTVM ŁANCVCKI,

Examinatores Fauentissimos.

Ex literarum studiis immortalitatem secuti. Macrob. Satur. 1. Cap. 8.

MAntua Virgilio claret, Nasone triumphat
Sulmo, Pylus clarens suo
Nestore gaudet.
Sed Pandioniæ iactant Demosthenem Athenæ,
Roma exerit Crispum, hunc suum
Prædicat Ascra.
Facundus Cicero, Chiron, Phydiasuè valete:
Giges, Arion, ludicras
Sistite laudes.

Educat ipſa viros Sapiens Academia Doctos;
Si vis Marones, expetis
Cerne Catones.
Iſte hâc, ille illâ fortunâ, & honore ſerenat,
Delectat hunc Plato, Numâ
Gaudet & alter.
DĄBROWSKI verſare Sophos proſtrare Chymæras,
Grauesq; Doctorum valet
Soluere nodos.
Siue Sophos cupias, alias aut Palladis artes
LVCÆ PIOTROWSKI effulgurāt
Mentibus æquis.
Siue peritos fandi, ille hic Ciceronis amæno
Lepore ŁANCVCKI ſcit in
flectere ſaxa.
Non alios memoro quibus (vt quot ſydera ſtellis)
Diui Iagelli explenduit
Totq; Senatus.
Qui cuncti inſignes animo digni cenſentur honore,
Tritonis æuo quem legat
Fama ſuperſtes.
Vrbs Tyria eximium Carthago Terentium honorat,
Laudat Samos doctiſsimum
Pythagoramq;
Vrbs Craci hæc iſtos, iſtos laudabit & orbls,
Stellis polus donec, & hæc
Lechia ſtabit.

LEMMA

LEMMA OPTATIANVM.

Iô Neodaphnosophi?

Quod votis optastis adest, Virg. 10. Æneid.

Metellus ille Cæsar Cæsarum,
Optasse fertur olim Decem
Res maximas, hic ille maximus.
Vt semper heros esset strenuuus,
Vt magnus Orator floresceret,
Vt Cæsar esset augustissimus,
Vt magna patraret auspicio bono.
Vt Summa honorum haberet culmina.
Vt vir foret cultæ sapientiæ.
Vt Diues esset nempè bonis modis.
Vt esset & Senator intimus.
Vt imperaret orbi optimus.
Vt in vrbe cunctâ esset clarissimus.
Vota euenere hæc illi prosperè.
Vile vos Candidati putatis id?
Quæ vota Vestrûm? BACCALAVREI
Nempè absoluto cursu Palladis,
Vt eruditi amænarum artium
Sitis, ratum felixq; tuemini
Votum; altiores in studiis gradus
Postquam voletis assequi, velut
Metellus, vt sitis celeberrimi,
Fiet, modo currente brabio;
Hanc gloriæ viam protendite,
En, METAFRONDENTI ex hac ILICE
Patet, tenacem propositi pedem
Vrgete, Nomen his tum subdite
Ramis, in illis gloria sospitat
Plus vltrò euntes Heroas suos,
Aurata virtutum ad Capitolia.

HOLOGRAMMATON.

Hanc multos florentem annos, 8. Æneid.

SERENAT
INDE
SVB
NAM BREVITATE
EMORITVR FLOS,
IS BOREA veniente senescit.
VIROR SYLVÆ
ORBE
CADVCA, IN
ANNISQVE
RVVNT
CVNCTA

ÆTAS,
IPSA OBIT
METALLO
ET PEREVNTE
DECOR
AGRIS
CEDIT
AMPLVS

ALMA
CREATRIX AST
ACADEMIA
DITAT
EPHÆBOS
MOLLITER
IPSA SVOS,
ÆQVIS CINCTVRA

CORYMBIS
RAMIFERA
ASSVESCENS
CLARERE
OPIBVS, QVE
VIGERE
IVNIPERVS VELVTI
EN
NVNQVAM CEDRATA
SENILEM
INCIPIENS CARIEM
SERO DVRARE VIDEBIS

CARPAM VOS Ô LAVRI *Virg. 2. Ecclog.*

Si quem venusta fructus adoreæ

Si

Si quem triumphans gloria, deniq;
Si quem trophæi vrunt, theatra
Multiplici radiata cultu.
Sculptæq; laudes, atq; tholi super
Appensa signis vita colosseis
Mercesq;, nomenq;, & perenni.
Penè loquax proba fama sæclô.
Hic vt feratur per titulos sacer,
Hanc destinatam feruidus arborem
Conetur vltro promereri,
Hanc animo meditetur acri.
Hæc arbor est pulchrum nemorum decus,
Pollens acutis Pythicus arcubus,
Postquam dedit Pythona morti,
Fronde caput sibi cinxit huius.
Hæc illa vera est laurus, honoribus
Quæ Cæsares, nec non redimit Duces
A Marte victores triumphos,
Cum reuehunt spoliis potiti.
Ramis in huius progenies honor
Vernat laborum, altrix decorum viret
Virtus, coronarum Infulæ, tum
Regum apices, litui Togæq;
Et Purpuratorum assita dignitas
Frondet Patrum, quam per liquidum æthera
Miros anhelantem nitores,
Sceptra vehi cupiunt reclinem.
Hæc nouit arbos fascibus & Mitris

Aptare

Aptare fulcrum: turbida non dies
Infestat hanc, non Hydrus asper
Hanc violare potest virentem.

Huc ô quietis qui cupis otia
Prensare, duris membra laboribus
Contrita, tandem vt delicatâ
Conciliare queas quiete.

Accede & hic quos vimine ramulos
Cernis sacros Diuis lege, sed GENV
LÆVO SACRAM TANGENS humum tunc
Poplite curuus adora & orans.

Dic VOS mihi LAVRI superis Sacras
CARPAM, libet nam tempora perpeti
Vexata constanti labore,
Iam iam aliquando virere lauru.

Nostros lacertos vt nec inhospita
Sistant oborti carbasa Nerei.
Ne obsint inhumanæ Chymeræ
Collibus in Physicis obortæ.

Id dico fiet Phœbicolæ mei,
Non Canus Athlas vos Physicum haud mare
Turbabit, haud vllis inaccessis
Delphicus Oceanus procellis.

Est Laurus hæc incommoda præsciens
Ventura, non hanc murmura Zoili,
Non Ronchus incæstus, frementis
Frænifera trahet aure vulgi.

Si nomen appendi super Ilice

Curretû,

Curetis; altum hoc littera cortice
Celata tollet fulgurantis
Culmina Syderis occupabit,
Sed fas prius, sit Lemmata soluere,
Quæ ramulis ex artibus optimis
Fixit Minerua, ambitq; nodos
Ingenijs reserare acutis.
Tunc vestra demum tempora frontium
Ornabit, vt gemmantia fulgeant
Ad vsq; iucundam diei
Inuidiam, opprobriumq; lucis.
Non difficultas terreat hæc phalanx
Te nostra, promptam flectito ceruicem,
Videbis exiles sub annis
Luxuriare comas in amplas.

EMBLEMA PRIMVM.
V. D ADAMO LAVRENTIO IASINSKI.

Cur regio fertilis hebetiores, difficilis ingeniosiores producat?
Alex. ab Alexand. lib. 4. Genethl. dier.

CÆlestis arcis Arbiter, varias vices
Hoc in theatro condidit.
Hic Marte fulget, fulget iste Pallade
Hic arma gerit, hic Codices
Inuertit; has Regio dedisse dicitur
Vices: abunda procreat
Iuuenes agrestes, ast acutos arida
Quî tu putes edic Sophe?

RESPONSVM.

Si cui alterna DEI vicissitudo
Arridet, Superos leuare in orbes
Ipse lumina debet, enitescit
Phæbus, Luna, nitent in axe stellæ,
At quæ disparitas? & hic Mineruâ
Alter plaudit, & ense plaudit alter,
Hæc Scholæ regio, fert ista ruri
Fætum; quæ sterilis, sophis virescit
Caret frugibus ast Sophis abundat.

PRÆMIVM.

Aureus Æneæ ramus ex Virg. lib. 6. Æneid.

Mysta Sacros tibi dum lumbos præcingit oliua,
Cedit atrox clades, cedit & omne malum;
Quod si Cerbereo Styx sæuiat atra furore,
Quâ stygis has clades arte domabis acres?
Aureus iste Stygem sæuam decedere ramus
Cogit, Styx rami robore quippe perit.
Ramus amor, sed nunquid amor depresserat orcum!
Qui domat & domuit cuncta domabit amor.

EMBLEMA SECVNDVM.

V. D. MICHAELI DOMZAŁ

Cur Tripodes sese mouerunt & Conuiuis inseruierunt?
Plin. lib. 35. cap. 10.

NOdo tenace en extruo conuiuium
Pater sue fercla misceo,
Non te fatiget nodus exilis, Sophe
A mensâ abest nostrâ dolus.

Dice

Dic, prompti cur Tripodes oberrant, & sub
Officia non negent Heris?
Nosti maris, nosti polares motus poli
Solidi, quin Tripodum magis.

RESPONSVM.

Conuiuis Tripus seruit atque onustus
Luctatur: video vagante testâ en
Pandi vina, geri dapes, redire,
Ire, quaeso quid hoc? resoluo tetram
Mentem, praepete abinde ponderosae
Concursu trutinae Tripus recurrit,
Nos cum ludimus, iste ludit, & cum
Ora soluimus, vela soluit iste.

PRÆMIVM.

Diuite flore vires, florens gemmasque vigesque
Cur terrena habitas torrida regna domus.
Templa Sophus, Laurusque simul superna merentur.
Pro vobis tellus vilis vtroque nimis.

EMBLEMA TERTIVM.
V. D. STANISLAO SECHINIO.

Cur lignea Columba Archytae volabat? ex Plin. l. 35. cap. 10.

Lignum timetur prædâ ne forsan nimis
Corrosa perdat horrea.
Timetur ergo præda ne lignum cadat
Prædiarier lignum an potest?
Sed fertur olim ligneam per æthera
Iuisse remis alitem,
Ast quî fit, æther ligneæ vt sulcent aues
Ligno grauatæ cur volant?

RESPON-

RESPONSVM.

Cur prædas abigant volando ligna
Scis? cur prædam agitant volitando quæris?
Lignum Spiritibus repletur imâ
Parte, ponderibusq; reclusis
Libratur, volitare quis negabit?
Tu sic ô vtinam voles per æthra.

PRAEMIVM.

Honor ex arduis Ouid. 4. Trist.

Difficilè est ligno factam se ferre columbam
In cælos; libris subdere se, an facile?
Vis vt honoreris, libris te subdere oportet,
Non venit è facili lecta corolla iugo.

EMBLEMA QVARTVM.
V. D. SIMONI OLEWNICKI.

Cur Heliotropium solem sequatur? *Ant. Mizald. l. 3. centu. 3 Mem.*

Titan polorum spatia postquam cursitans
Clarente oberrat lampade,
Phœbe citati luminis simul æmula
Æquare cursum nititur,
Sed Heliotropium sequax horum viam
Obseruat, vnde sit Sophe?

RESPONSVM.

Titan currit, & ipsa luna currit
Hic stat, stans variatq; luna vultus,
Heliotropium sequace flore
Istos suspicit, vnde cur sequatur
Flos scis? scilicet indita potitur
Vi, quæ defluit aureis ab astris.

PRÆ

PRÆMIVM.

Oliua Mineruæ ex *Virgil. 1. Georg.*

Titaniæ quoties conturbant æquora Nymphæ,
Iuncta rati tuta pacis oliua facit.
Hac tutus Phœbum, i habe ac imitabere ad astra,
Si non contemnas terrea regna tamen.

EMBLEMA QVINTVM.

V. D. GABRIELI LEWICKI.

Vtrum contactu herba Æthiopidis sera aperiantur? ex Plin. lib. 10. c. 18.

CRimina, furta, libido, doli patrantur in orbe,
Passim secessit omnis iam timor,
Ausibus effremuit furiosa licentia miris
I canit, abi, iam cuncta vasta ac eripe
Nulli parce bono, taceant ni parce malis nec
Quas custos postibus ponet seras,
Æthyopis benè docta seras, hæc herba retundet,
Reserabit hæc arcis sopitas tumq; opes,
Tu versare Sophos, sacrum dotare Tribunal
Vales æquitate, tu per æqua iurium
Scis quæ pæna dolis, quæ virtus insidet herbæ?
Officij id in te Ascræa rectrix contulit,
Pande dolos herbæ, vires deprome dolosas
Quippe Sophus, æqui quippe Cultor iuris es?

RESPONSVM.

Si quis viribus his in esse censes
Herbam, falleris; improbis malignæ
Seræ ex astibus est per astum auari
Orci dissiliunt, foresq; fortes
Franguntur, quid enim nocere ferro
Posset herbula? Mollis illa, durum
Ferrum, flexilis illa, constat hoc sed
Sibi robore: Dæmon ista patrat
Non herbæ mala vis, malusq; næuus.

Amaltheæ Cornu. ex Dion. Chryſ. Orat. I. de Fortuna.

Doctrinæ genus omne comparare
Flagranti ſtudio voles LEWICKI,
Iam deſiderio Sacræ Poeſis,
Iam flagrans Sophicis ſtudere curis,
Iam narrare voles decus virorum,
Sunt mores tibi tum venuſtiores,
Has dotes bene vt auctus aſſequaris,
Cum Sors ludere peruicax ſiniſtra,
Iam fælixq; ſolet fauere cunctis,
Iam nunc ſæua; benigna nunc quibuſdam,
Quod Caduceus illud arripe adfert
Cornu, ſiue cupis Poeta verſu.
Fari, ſeu Cicero loqui popoſcis;
Reſpondere paras per æqua iura,
Hoc rerum indicat, hoc beabis iſta,
Fortunate tibi fluent ſecunda;
Sed dum cuncta tibi euenire dico,
Non deſunt tibi mentis alta dona,
Quanquam (ſubuereor) volare dum vis
Tunc te ſerpere præſtat his in imis.

ÆNIGMA.
V. D. IOANNI SLIWINSKI.

Quando futura ſcio, cum doctis ſæpe triumpho,
Subdita puluillo ſomnia vera fero,
Quæ ſit origo mihi, quibus & conuerſor in oris,
Fare? & tunc fueris magnus Apollo mihi:

RESPONSVM.

Quæ Ducibus cingit victricia tempora Laurus,
Præſcia venturi dicitur eſſe boni,
Te reputo Laurum ex vigili torpore laborum
Naſceris, in dulci mercis honore viges.

P R Æ M I V M.

Se quantis attollit gloria rebus. *Virg. 4. Æneid.*

Ludis, & illudis, me vincis, me tibi sume,
Ludere nole diu, vincere posse ratus.

AE N I G M A.

V. D. PETRO SMVCZEWIC.

CVncta timent cariem, iuuenis sim, siue senex sim,
Non timeo: mihi nam viuida sæclá fluunt
Vni per ius ista licent, si cognita nomina vertas,
Jnuenies mihi quæ per mea iura licent.

R E S P O N S V M.

Iuniperum video, nunquam hæc cedrata senilem
Ferre potest cariem, tineas nec sentit inertes,
Inde per innumeros frondescere dicitur annos:
Quercus amica Ioui veluti, hæc sic fertur in altum.

P R Æ M I V M.

Volucris Saturnia ex Virg. 4. Æneid.

Constitit hæc volucris, Diuini ad busta Platonis,
Delectatur amans fortibus ipsa viris,
Inter aues quantum hæc inuicto robore præstat,
Tu tantum Heroas, inclytus inter ouas,

L E M M A.

V. D. ALBERTO GLADYSZOWIC.

Et Cedro digna locutus *Persius 1. Satyr.*

Arbores adestedum
Semper vigentes, quæ comas
Fertis omni tempore,
Ceu bruma, ceu ver imperet,
Morus adsit Ismena,
Buxus, atq; Populus,
Sacra quercus & Ioui,

 Hederæ

Hederaq; interueniant comis,
Ac Cedri constantia.
Eius vetustatem integram
Applicet Poëta, qui
Benè dignus aureola comis
Arborum est virentium.
Te Sophum voco, voco
Te Poëtam, tuum caput,
Porrigas virentibus
Frondibus, quas sedulo.
Licentiatus diligas,
Digna Cedro perpetrans.
Æterno honore, & frondeas
Cedrus æternum vt viret.

ÆNIGMA
V. D. GEORGIO IARVZELSKI.

NVllus erat genitor, genero mihi pignora multa
Sum Pater, & sine sum; sed genitore Pater?

RESPONSVM.

Phæbus obit terras, generans res, quas legit orbis,
Est rerum absque tamen, sed genitore Pater.

PRÆMIVM.

Noctua Minerua, Pierius 20 Hierogly.

Secreti tutrix, signum & cæleste Mineruæ,
Est genitrix sani, noctua consilij.
Siue regas alios, vrbis seu rostra gubernes,
Noctua cum dat opes, fac tueâris eas.

ÆNIGMA.
V. D. IGNATIO PRZESLAWSKI.

Dictio lassat equum, me diligit Ilice in alta,
Me quærit, qui me negligit; ante sibi?

RESPONSVM.

Cursus equos frangit, recreat spumantia colla,
Si sub frondenti cespite, meta detur.

Cursibus

Cursibus ipse meis lassus cupidam appeto metam,
Ilex meta mihi, dictio cursus erit.

P R Æ M I V M.

Ascrææ simulachrum spei, *Virgil. 6. Eclog.*

Dum sperare docet viridis te commoda laurus,
Spem refouens animo, commoda dic bona erunt.
Est Dea spes claro suspectans sydera vultu,
Spera hac cum nequeat fallere, spondet? erunt.

Æ N I G M A.

V. D. IOANNI GODZIEMBA.

SYlua mihi Patria est, genitoris nescio nomen,
In fluctu vitam naufraga dego meam ?
Nocte dieque bibo, morior per multa bibendo,
Frangor quod si, ab aquis ducor; in igne cremor.

R E S P O N S V M.

Magnum iter ascendo, Sophicum cæpi æquor arandum,
Assequar vt per te, te mea prodo ratis.

P R Æ M I V M.

Vittata Nauis. Platonis Plut. in vita Diog.

Semideos vehit in cælos vittata Platones,
Ingenio factam, scande Sophista ratim.
Hac poteris tutus superos attingere portus,
Fors melior, quàm, quâ se Plato vexit, erit ?

Æ N I G M A.

V. D. ALEXANDRO KWIATKOWSKI.

SVnt duo, quæ duo sunt, & sunt duo quæ duo non sunt.
Quæ duo si duo sunt, nulla duo duo sunt,
Vnus tu, alter ego fueris, pignus iungemur in vnum,
Dum solues duo nos, si sumus vnus ego?

R E S P O N S V M.

Laurus ego, duo sunt: duo non duo sunt duo si me
Laurigerum facias, namq; ego Laurus ero.
Si duo quæ duo sunt, duo non sunt, si duo sumus
Iunctim, quæ duo tunc sunt duo, cum duo sunt.

P R Æ M I V M.

Auxilium nunquam deficiens Clypeus Myrtili. *ex Græco Epigr. Iulij Leonid.*

Millibus è multis tibi votum sufficit vnum,
Si tantum vnus erit, qui tamen vnus erit.
Millibus è multis, tibi sors duo vota dat vni,
Si non vnus erit, dum tamen vnus erit.
Es sine Lauru vnum, duo cum Lauru estis vt vnum,
Estis in aduersis, vos duo nulla duo.
Cum lauro iungis clypeum hic & Laurus, in vno
Te, faciunt duo, sis prosper, vt & sapiens.

ÆNIGMA.
V. D. ALEXANDRO KARWOWSKI.

ANcipiti genuit mea me fortuna sub ortu,
Thyrsigenæ soli semper amans fueram,
Nunc me odêre omnes, licet omni versor in Orbe,
Felix, pauper, non me sine diues erit.

RESPONSVM.

Lurida sæpè venit Marti fortuna, secunda
Sæpè, erat Heroes Hercules huius amans.
Hunc reor, hunc ne voles fore? totus quem orbis adorat,
Hic nobis Sophico in puluere cessit opes.

PRÆMIVM.

Lorica Ichneumonis, ex Horat. lib. 4. Od. 2.
Tuque dum procedis Iô triumphe,
Non semel dicimus Iô triumphe.
Puluere collecto metam contingis at ista,
Victor, vt ad palmam progrediêre monet.
Momus ne palmam aggrediare vbi tela mouebit
Quid facies? Loricam sumito, tela ruent:

LEMMA.
V. D. SIMONI CAMPIANO,

Meritæque expectet præmia palmæ, *Virg. 5. Æneid.*

ADest uirescens palmula
Occurre lætis passibus,
Illustriorem te vehit
Titulis beat maioribus.
Venusta virtus hanc parit
In asperis laboribus,

Int

In gloriosis gressibus,
Ad præmium decorum,
Virtute magnâ Palladis
Venisti in arces arduas,
Vicisti acerbos sedulis
Laboribus, labores.
Platonis ob sapientiam,
Ob Tullij eloquentiam,
Maronis ob scientiam.
Hanc palmulam uitabis?
Debetur hæc tibi, cape,
Academica illa dignitas
Hanc dicat ad fastigia
Scientiæ approbata.

EPOS GLORIFICATIVVM,

Ad Omnes Venerabiles Concandidatos, studiisq; fauentum.

Consonat omne nemus; ex Virgil. 5. Æneid.

PLausus ingemina obuiosq;
Semper Lechia nobilis,
Gesti lætitia uoua,
Adest præsidium nouum, à
Doctâ Palladis artibus,
Fructus germina iam tui
Lætis vocibus excipe,
Stabunt pectore Martio,
Contra Cerbereos dolos,
Turpes Hæreseos lues,
Ter felix Iuuenum genus,
Si vestros animos, Amor
Quo cælum regitur, regat?

Auctor Zoilo.

Zoile si cupias, istos malè rodere versus,
Ante sic id cænam prandia rode tua,

IN STEMMA ACADEMIÆ CRAC.



Quos submittit humo fasces, Arctarticus orbis;
Sceptrorum hos curæ subdere colla velit,
Vis prudentis opes, laudum, vis gloriæ honores?
Vis cælos? Sceptris subdere colla para.

Sub Felicibus
Magnifici & Admodum Reuerendi Dñi.
IACOBI VSTIENSIS,
S. Th. & I. V. Doctoris ac Professoris, Custodis
ad S. Florian. &c. Studij Cracouień. Generalis
RECTORIS.
AVSPICIIS.